



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed & Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima & pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

LXVI. Commendatio prudentissimi facinoris, quo Daniel Susannam absolvit, & senes accusatores ejusdem convicit, per sex rerum attributa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

laudabitur sine molestia. Hic licet sit unum & simplicissimum bonum, tamen omnes omnium rerum idque summa eminentia, concludit perfectiones. In hoc speculo videbitur lepor & venustas omnium creaturarum, &c. Si inquam, nobis grata est pulchritudo, Deus est, cujus pulchritudinem sol & luna admirantur. Si appetis nobilitatem, ipse est fons & origo totius nobilitatis. Si cupis facietatem & abundantiam, in ipso summa est bonorum omnium &c.

In CONCLUSIONE hortaberis Auditores, ut relicta Ægypto aspirent ad terram promissionis, ad quam creati sunt: cogitent quid Sancti fecerint, ut illam gloriam consequerentur, & cum S. Augustino dicant: Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si istam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possimus, & Sanctis eius sociari, nonne dignum esset pari omne quod triste est, ut tanti boni tantæq; gloria participes habeamur?

*In Manuali
cap 17.*

LXVI. COMMENDATIO PRUDENTISSIMI & FORTISSIMI FACINORIS, quo Daniel Susannam adulterii absolvit, & senes accusatores ejusdem convicit, per sextorum attributa. *Dan. 13.*

EXORDIUM *duces à tua & Auditorum persona.*
 Quod adolescens ipse inter adolescentes de Danielis prudentissimo & fortissimo facto, quo Susannam innocentem defendit & à turpissimo mortis genere liberavit, dicere decreveris, ut ejusmodi exemplo omnes ingenui adolescentes ab incunte ætate justitiam, prudentiam, fortitudinem, & temperantiam discant exercere. Omnes enim virtutes in unico hoc facinore appatent; Iustitia, & Prudentia, cum justissimi, & prudentissimi iudicis officio functus est; Fortitudo, cum forti animo

mo

mo adolescens impiis & nefariis seniorum conatibus obstiterit; Temperantia, cum pudicitia & castitatis defensorem sese præbuerit, & fœdam seniorum libidinem condemnarit,

CONFIRMATIO à sex rerum attributis. PRIMUM est, *persona*, quòd adolescens facinus tã memorabile executus sit. *Amplificabis* ab adolescentia ad iunctis, temeritate, & imprudentia.

SECUNDUM, *ipsa res*, defensio innocentis Susannæ. quòd eam à morte imminente, & perpetua infamiae nota vindicarit. *Si regia res est*, (ut Ovidius canit) *miseris succurrere lapsis*, quanta censebitur defensio innocentum, ubi non defenditur culpa lapsi, sed aliena malitia, & injuria miseri accusatur; ubi non ab hujus vitæ incommodis, sed à morte, rerum omnium terribilium terribilissima, innocens liberatur. Quod Cicero de beneficio C. Cæsaris in M. Marcellum, non à morte, sed ab exilio; non ab infamia, sed honoris saltè aliqua diminutione liberatum dixit, id verius de hoc Danielis præclarissimo facinore dici potest.

TERTIUM, *Causa finalis*, quòd non spe lucri, sed solius justitiæ defendendæ causa hoc egerit; non privatum commodum spectarit, sed quomodo innocentem ab acerbissima morte liberaret, si ex fine spectantur actiones nostræ ut probentur vel improbentur, hæc certe incredibilem consequitur laudem.

QUARTUM, *Ipsa modus*, quòd se junctio senum ipsam rei veritatem cognoverit; quòd ipsis in os improbitatem & sceleris enormitatem expressè dixerit, nullatenus involuerit.

QUINTUM, *Locus*, quòd in publico judicio, in corona judicum id egerit, ubi adolescentes pudore suffundi & metu consternari solèt, usque ad eò, ut ne hiscere quidem audeant, quòd etiam Cicero jam viro & Oratorũ principi accidisse legitur.

SEX.

POETAS ESSE MENDACES. 239

SEXTUM, *Tempus*, quòd in ipsa mortis hora, cum Susanna jam condemnata ad supplicium duceretur, hoc in eam beneficium collocarit. *Doce* quantum sit jam morituro vitam insperatam donare.

In EPILOGO hortaberis omnes, ut quàm diligentissimè in omni virtutum genere Danielis vestigia sequi studeant.

LXVII, POETAS ESSE MENDACES.

EXORDIUM à similitudine. Quemadmodum Syrenes cantus suavitate homines deceptos olim pertrahebant ad perniciem: ita Poëta per suam Poësin, verborum lenociniis distinctam, ceu colorum varietate pictam, mendacium in animos mortalium instillant, & veritatem nequiter persundant.

CONFISMA I. ARGUMENTVM, à Notatione, PRIMÒ, Quid aliud mendacium, quam contra mentem itio? At contra mentem it, qui aliud dicit, ac sentit. Hoc autem Poëta faciunt. Homerus, Virgilius, Ovidius multa protulerunt, quæ minimè ita se habere sentiebant, judicabantue. *Hic aliquas fabulas commemora, & doce*, neminem sana mente arbitrari eas vel tantillum veritatis continere, imò ne ipsos quidem qui finxere. SECUNDÒ, Quid notat aliud Poëta, quàm fictor? Quis fingit? Nonne qui esse aut fore illa affirmat, quæ nec sunt, nec erunt? Quod qui facit, non congruenter veritati facit.

II. ARGUMENTUM à definitione. Mendacium est orationis vanitas, & affirmatio fumosa, qua ea dicuntur esse aut fuisse, quæ non sunt, nec fuerunt. Quis verò unquàm credat ea, quæ Poëta fabulantur? Orphei videlicet cætu nemora fetasq; omnes unum in locum confluisse? Nemo certè, nisi qui arboribus auditum & pedes esse certo sibi persuaserit. Quis credat quod Amphion suavitate versuum saxa excitat;